

Omelia XXIV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.92ra-94va)

Non omnis qui dicit michi domine, domine intrabit in regnum celorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in celis est.

Commented [ND1]: [fol.92ra]

Propter quid non dixit, sed qui facit uoluntatem meam. Quoniam interim amabile erat, et hoc prius suscipi. Etenim multum magnum erat hoc ad imbecillitatem eorum. Sed aliter et hoc per illud enigmatice insinuauit. Cum his autem et illud est dicere, quoniam neque est alia uoluntas filii, quam quae est patris. Hic autem michi iudeos maxime tangere uidetur, in dogmatibus omnia ponentes. Ideoque paulus eos incusat dicens. Vide tu iudeus denominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in deo, et cognoscis uoluntatem, et probas ea quae differunt, sed nichil tibi amplius hinc, cum uitae et operum ostensio non affuerit. Ipse autem non usque ad haec stetit, sed et id quod multo amplius est his dixit. Multi enim dicent michi in illa die, domine, domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? Non enim utique solum ait, qui fidem habet, uita neglecta excelsis proicitur, sed et si cum fide signa multa fecerit, et nullum bonum operatus fuerit, et hic a sacris ianuis illis similiter prohibetur. Multi enim dicent michi in illa die, domine, domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? Vides qualiter latenter seipsum simul iam inducit? Quia omnem compleuit contionem, monstrat seipsum existentem iudicem. Quoniam enim pena expectat eos qui peccant, in anterioribus monstrauit. Quis autem est, et qui punit, hic iam reuelat, et non dixit aperte, quoniam ego sum. Sed multi dicent michi. Idem ipsum rursum instruens. Si enim non ipse esset iudex, qualiter utique ad ipsos dixisset, et tunc confitebor eis, abscedite a me, nunquam noui uos. Non solum in tempore iudicii, sed neque tunc cum mirabilia faciebatis ait. Propter hoc et discipulis dixit, non laetemini, quoniam demonia uobis subiecta sunt, sed quoniam nomina uestra scripta sunt in caelis, et multum ubique iubet uitae studium facere. Non enim est hominem recte semper uiuentem, et ab omnibus erutum passionibus, despici umquam. Sed et si eum errare contigerit, uelociter eum deus ad ueritatem attrahit. Sed sunt quidam qui aiunt, quoniam mentientes hii haec dixerunt. Ideoque neque saluati sunt ait. Non igitur contrarium rei, uult instruere. Etenim uult hic ostendere, quoniam fides nichil potest sine operibus. Deinde intendens ea, apposuit et signa, monstrans quoniam non solum fides, sed neque signorum ostensio, prodest aliquid miracula facienti sine uirtute. Si autem non fecerit, qualiter utique poterit hoc constituere hic? Aliter autem neque utique auderent iudicio presente, ad ipsum haec dicere, sed et ipsa responsio, et secundum interrogationem dicere, ostendit eos fecisse. Quia enim contrarium expectationi finem uidebant, et hic quidem mirabiles erant apud omnes, miracula facientes, illic autem uident seipsos iam punitos, ut stupescentes et ammirantes dicunt, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? Qualiter igitur nos auertis nunc? Quid uult extraneus et inopinabilis hic finis? sed illi quidem ammirantur, quoniam talia miracula cum fecissent puniuntur. Tu autem non mirare. Gratia enim omnis muneris est eius qui dedit. Illi enim nichil a seipsis intulerunt. Ideoque puniri iusti sunt, quoniam circa eum qui ita honorauit, ut et indignis dederit gratiam, ingrati et insensibiles facti sunt. Quid igitur ait, operantes iniquitatem, talia faciebant? Quidam quidem aiunt, quoniam non in tempore in quo haec miracula faciebant, et iniqua agebant, sed postea transmutabantur, et iniquitatem faciebant. Sed si hoc erit, rursus quod studebat monstrare, non consistit. Quod enim monstrare studebat, hoc est quoniam neque fides, neque miracula

Commented [ND2]: [fol.92rb]

Commented [ND3]: uel pertinent tibi add. super lin.

Commented [ND4]: christus add. super lin.

Commented [ND5]: sermonem add. super lin.

Commented [ND6]: [fol.92va]

Commented [ND7]: se miracula fecisse add. super lin.

Commented [ND8]: si hoc est add. super lin.

Commented [ND9]: id est intensionem faciens add. super lin.

Commented [ND10]: miracula add. super lin.

Commented [ND11]: id est intensione add. super lin.

Commented [CN12]: christus add. super lin.

Commented [ND13]: si dicamus add. super lin.

Commented [ND14]: falsa add. super lin.

Commented [ND15]: christi add. super lin.

Commented [ND16]: uel per add. super lin.

Commented [ND17]: id est interrogatiue add. super lin.

Commented [ND18]: miracula add. super lin.

Commented [ND19]: uel opinioni sue add. super lin.

Commented [CN20]: suum add. super lin.

Commented [ND21]: malus add. super lin.

Commented [ND22]: miraculorum add. super lin.

Commented [ND23]: operis add. super lin.

Commented [ND24]: uel digni add. super lin.

ualent, **uita** non presente. Quod igitur et paulus dixit. Si habuero fidem, ut montes transferam, et sciuro mysteria omnia, et omnem scientiam, amorem autem non habuero, nichil sum. Qui igitur sunt hii ait? Multi eorum qui **crediderunt**, acceperunt charismata. Qualis erat qui demonia expellebat, et non erat cum ipso, qualis erat iudas. Etenim et hic perniciosus existens, charisma habebat, sed et in ueteri testamento hoc utique aliquis inueniet ad indignos, **gratiam operantem** multotiens, ut aliis beneficiat. Quia enim non omnes ad omnia apte habebant, sed hii quidem erant uitae purae fidem autem non tantam habebant. Hii autem contrarium, et illos per hos conuertebat, ut multam ostenderent fidem, et hos per ineffabile hoc munus, ut fiant meliores euocabat. Ideoque cum multa copiositate hanc gratiam dabat. Virtutes enim multas ait fecimus. Sed confitebor eis, tunc quoniam non noui uos. Nunc enim estimant esse michi amici, tunc autem scient, quoniam non ut amicis **dedi**. Et quid miraris si uiris credentibus quidem in ipsum, **uitam** autem non habentibus fidei concordantem charismata dedit, cum et in his qui ab utrisque his deciderunt, inueniatur operans. Etenim balaam et a fide et urbanitate optima alienus erat, sed tamen operata est gratia in eo, propter aliorum dispensationem. Sed et pharao **talis**, sed tamen et illi futura ostendit. Et nabuchodonosor iniquissimus erat. Et huic rursus, quae post multas postea futura erant generationes, reuelauit. Et **puero** rursus eius uincenti patrem in iniquitate futura ostendit, mirabiles et magnas dispensans res. Quia igitur et tunc **principia** predicatio habebat, et multam oportebat effici uirtutis eius ostensionem, multi et indignorum munera accipiebant. Sed tamen a signis his nichil illi lucrati sunt, sed et magis puniuntur. Ideoque terribile illud uerbum dixit ei. Nunquam cognoui uos. Multos enim et hinc iam odio habet, et ante punitionem auertit. Timeamus igitur dilecti, et multam diligentiam faciamus uitae huius. Neque estimemus minus habere quia signa non nunc faciamus. Nichil enim **ex** hoc amplius erit nobis umquam, quemadmodum igitur neque minus ex non faciendo, si erga uirtutem omnem diligentes erimus. Signorum enim ipsi debitores sumus. Vitae autem et actionum deum habemus debitorem. Quia ergo omnia compleuit, et de uirtute disputauit cum diligentia uniuersa, et eos qui fingunt eam ostendit diuersos existentes, et eos qui ieiunant ad ostentationem et orant, et eos qui in pelle ouium adueniunt, et eos qui nocent **ei**, quos et porcos et canes uocauit, monstrans iam quantum est uirtutis, et hic emolumentum, quantum autem malitiae nocumentum, ait. Omnis igitur quicumque audit meos sermones et facit eos, assimilabitur uiro prudenti. Quae enim qui non faciunt et signa operantur, patientur, audistis. Oportet autem uos scire, et quibus qui credunt uniuersa quae dicta sunt potientur. Non in futuro seculo tantum sed et hic. Omnis enim ait, quicumque audit meos hos sermones, et facit eos, assimilabitur uiro prudenti. Vides qualiter uariat sermonem quandoque quidem dicens. Non omnis qui dicit michi domine, domine, et **seipsum** reuelans, quandoque autem dicens, qui facit uoluntatem patris mei. Et rursus iudicem seipsum inducens. Multi enim dicent michi in die illa, domine, domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? et dicam, non noui uos. Et hic rursus monstrat seipsum potestatem habentem totius. Ideoque dixit. Quicumque audit meos hos sermones, quia enim omnia de futuris disputauit, et regnum dicens, et mercedem ineffabilem, et consolationem, et quecunque talia, uult et hinc eis dare fructus, et monstrare decentem presentem uitam fortitudini uirtutis. Quae igitur est fortitudo? cum stabilitate uiuere, non ab aliquo periculosorum posse capi, omnibus superiorem stare uexantibus. Cui quid fiet umquam equale, hoc enim neque ipse qui diadema circumposuit sibi ipsi, instruere poterit, sed qui uirtute **participat**. Ipse enim solus cum multa possidet super habundantia, in **eurippo** presentium negotiorum, multa fruens tranquillitate. Quod enim utique est mirabile, hoc est quoniam non serenitate existente, sed uehemente tempestate et multa turbatione, et continuis temptationibus ipse neque parum concuti potest. Descendit enim pluuia ait, uenerunt flumina, flauerunt uenti, et ceciderunt super domum illam, et non cecidit, fundata

Commented [ND25]: bona *add. super lin.*

Commented [ND26]: [fol.92vb]

Commented [ND27]: miraculorum *add. super lin.*

Commented [ND28]: miraculorum gratiam *add. super lin.*

Commented [ND29]: bonam *add. super lin.*

Commented [ND30]: erat *add. super lin.*

Commented [ND31]: filio *add. super lin.*

Commented [ND32]: uel initium *add. super lin.*

Commented [ND33]: [fol.93ra]

Commented [ND34]: uirtuti *add. super lin.*

Commented [ND35]: deum *add. super lin.*

Commented [ND36]: [fol.93rb]

Commented [ND37]: sinus procellosis *add. super lin.*

enim erat supra petram. **Pluuia** hic et flumina et uentos, metaphorice, humanas dicens calamitates et anxietates, ut puta, calumnias insidias, luctus, mortes, familiarium ablationes, alienorum uexationes, omnia quaecunque utique dicet aliquis quae in presenti uita sunt mala. Sed nulli caedit talis anima ait. Causa autem est, quoniam super petram fundata est. Petram autem stabilitatem sui ipsius doctrinae uocans. Etenim petra fortiora sunt precepta, excelsiorem omnibus facientia humanis fluctuationibus. Qui enim haec cum diligentia custodit, non homines superabit solum uexantes, sed et ipsos demones insidiantes ei. Et quoniam non **ostentatio** sunt quae dicta sunt, testis est nobis iob, omnes suscipiens diaboli immissiones, et manens immobilis. Testabuntur autem et apostoli, qui procellis orbis terrarum refragantibus eis, et plebibus, et tyrannibus, et familiaribus, et alienis, et demonibus, et diabolo, et omni machinatione mota, petra firmiter steterunt, et haec omnia dissoluerunt. Quid igitur uita hac beatius fiet umquam? hanc enim non diuitiae, non corporis uirtus, non gloria, non potentia, non aliud nichil promittere poterit, sed uirtutis possessio sola. Non enim est uitam inuenire aliam a malis liberam uniuersis, quam hanc solam et testes nobis sunt, qui insidias, quae in palatiis sunt nouerunt, qui tumultuationes et turbationes quae sunt in domibus diuitum, sed non in apostolis erat tale **nichil**. **Quid** igitur? Nichil factum est tale, neque passi sunt aliquid mali a nullo illi? Quod enim mirabile maxime omnium est, hoc est quoniam multas quidem sustinuerunt insidias, et multae rescissae sunt super eos tempestates. Animam autem eorum non euerterunt, neque in mesticiam immiserunt. Nudis corporibus luctantes superauerunt et uicerunt. Et tu igitur si uolueris haec facere cum diligentia, omnes deridebis. Etenim si fueris munitus ammonitionum harum philosophia, nichil te contristare poterit. Quid enim tibi nocebit qui uult insidiari? Pecunias tuas auferet? sed et ante minas illorum **iussus** eas contempnere, et cum tanta abrenuntiare superhabundantia, ut neque a dominatore aliquid umquam tale **petas**, sed in carcerem immittit, sed ante carcerem ita uiuere iussus es, ut et omni crucifixus fueris mundo. Sed dicit male? sed et ab hoc eruit te dolore christus multam tibi sine labore innocentiae promittens mercedem. Et ita te purum ab ira quae hinc est et tristitia faciens, ut et iubeat **orare**, sed abigit, et decem milibus circumdat malis? sed clariorem tibi facit coronam, sed interficit et occidit? et propter hoc maxime tibi prodest, premia martyrum tibi construens, et citius in inprocello sum transmittens portum, et maioris remunerationis **conditionem** tibi tribuens, et communem uindicatam mercari construens. Quod utique et maxime omnium est mirabilis. Quoniam non solum nichil nocent insidiantes, sed et probabiliores faciunt eos qui uexantur, cui quid fiet utique simile ad talem eligendum uitam, qualis sola haec talis est. Quia enim dixit angustam et coartatam uiam, et hinc mitigans labores, ostendit multam eius existentem stabilitatem, multam uoluptatem. Quemadmodum et contrarie, multam putredinem et iacturam. Sicut enim uirtutis et hinc monstrauit premia, ita et malitiae temptationes. Etenim quod semper dico, hoc et nunc dicam, quoniam per utraque ubique instruit **auditorum** salutem, et per zelum uirtutis, et per odium malitiae. Quoniam enim quid a futuri erant, quae dicuntur quidam ammirantes, ostensionem autem quae est per opera non tribuentes, **preassumens** eos terret dicens, quoniam et si bona quidem sunt quae dicta sunt, non sufficit tibi instabilitatem auditio, sed necessitas est obedientiae quae est per opera. Et totum in hoc maxime est, et hic dissoluit sermonem, timorem eis uegetatum dimittens. Sicut enim in uirtute non a futuris conuertit solum, regnum dicens, et celos, et mercedem ineffabilem, et consolationem, et decem milia bona, sed et a presentibus soliditatem et immobilitatem ostendens petrae, ita et in malitia non ab his quae expectantur, terret solum, puta ab incisa arbore, et igne inextinguibili, et a non ingrediendo in regnum, et a dicendo non noui uos, sed et a presentibus ruinam dicens quae est secundum domum. Ideoque manifestiorem sermonem fecit, in parabola eum excitans. Non enim erat equale dicere quoniam non poterit capi

Commented [ND38]: Morale xxiii. quoniam uirtuoso nullus nocere potest, qui autem in malitia uiuit, omnes timet et formidat. *notum in marg.*

Commented [ND39]: uel laus *add. super lin.*

Commented [ND40]: aliquid *add. super lin.*

Commented [ND41]: [fol.93va]

Commented [ND42]: a christo *add. super lin.*

Commented [ND43]: sed panem cotidianum solum *add. super lin.*

Commented [ND44]: eis *add. super lin.*

Commented [ND45]: uel materiam *add. super lin.*

Commented [ND46]: [fol.93vb]

Commented [ND47]: preueniens *add. super lin.*

uirtuosus, et facile capi perniciosus, et petram ponere, et domum, et flumina, et pluuiam, et ueritum, et quaecunque talia. Bene autem stultum uocauit hunc. Quid enim utique fiet insipientius, domum fabricante in harena, et laborem quidem sustinente, a fructu autem et requie priuato, et pro hoc penam sustinente? quoniam enim et qui malitia participant laborant, omni ubique manifestum est. Etenim raptor, et adulter, et calumpniator in multis laborant, et miserias patiuntur, ut suam malitiam ad finem deducant, sed non solum nullum a laboribus his fructificant emolumentum, sed et multam sustinent iacturam, quia et paulus hoc ipsum enigmatice insinuans dixit, qui seminat in carne sua, ex carne metet corruptionem, huic assimilantur et qui in arena aedificant. Puta, qui in fornicatione, qui in impudicia, qui in ira, qui in aliis uniuersis. Talis erat achaab, sed non talis helias. Etenim coalterna ponentes uirtutem et malitiam, certiolem cognoscemus hanc differentiam. Hic enim in petra fabricauit, hic autem in arena. Ideoque rex existens tremebat et formidabat prophetam melotem, id est pellem ouinam habentem solum. Tales iudei, sed non apostoli. Ideoque pauci existentes, et ligati, petrae ostendebant soliditatem. Illi enim et multi et armati arenae habebant imbecillitatem. Etenim dicebant, quid faciemus hominibus his? uides in aporia, id est in indissolubili questione existentes, non famulos et ligatos, sed eos qui detinebant et ligabant? Quoquid fiet umquam inoppinabilius? tu detines et aporiaris, id est indissolubilem facis questionem? Et ualde decenter. Quia enim in arena omnia fabricarunt, propter hoc et imbecilliores omnibus erant. Propter hoc rursus dicebant, quid facitis uolentes inducere super nos sanguinem hominis huius ait? Tu flagellas et tu times, tu uexas et tu formidas, tu iudicas et tu tremis? Ita imbecillis est malitia, sed non apostoli ita. Sed qualiter? non possumus nos quae uidimus et audiuimus, non accipere. Vides prudentiam excelsam, uides petram fluctuationem deridentem, uides domum immobilem? Et quod utique est mirabilius quoniam non solum neque facti sunt ipsi formidolosi, per ea quibus insidias parabantur, sed quoniam et ampliorem accipiebant audaciam, et illos in maiorem inmittebant agoniam. Etenim qui adamantam percutit, ipse est qui percutitur, et qui stimulis calcitrat, ipse est qui stimulat, et difficilia suscipit uulnera. Et qui uirtuosus insidiatur, ipse est qui periclitatur. Malitia enim tanto magis imbecillior fit, quanto utique ad uirtutem construitur. Et quemadmodum inuestimento ligans ignem, flammam quidem non extinxit, uestimentum autem consumpsit, ita qui uirtuosos uexat et detinet, et ligat, illos quidem clariore operatus est, se ipsum autem destruxit. Etenim quecunque mala passus fueris mansuete uiuens, tanto factus es fortior, quantocunque enim intendemus philosophiam, tantomagis nullo indigebimus. Quantocunque nullo indigebimus, tantomagis fortes effimur, et omnibus superiores. Talis erat iohannes. Ideo illum quidem nullus contristabat, ipse autem contristabat herodem, et hic quidem nichil habens, insurrexit aduersus eum qui regnabat, hic autem diadema et purpuram et decem mille circumamictus fantasias, tremis et formidat eum qui omnibus erat denudatus, et neque eum cuius amputauerat caput, sine timore inspicere poterat. Quoniam enim post mortem uegetantem habebat timorem, audi quid ait, hic est iohannes quem interfeci ego? Interfeci autem hoc, non interrogantis erat, sed timorem mitigantis et suadentis animae turbatae rememorari, quoniam ipse eum occidit. Tanta est uirtutis fortitudo, quoniam et post finem uiuentibus est potentior. Propter hoc utique et cum uiueret, qui multas possidebant pecunias, ad ipsum uenientes dicebant. Quid faciemus? Tanta habetis, et a nichil habente uultis discere uestrae prosperitatis uiam? ab in ope, qui ditamini, ab eo qui neque domum habet, qui exercitum congregatis? Talis et helias erat. Ideoque cum eadem libera propalatione plebi loquebatur. Hic enim dicebat, genimina uiperarum, hic autem usquequo claudicabitis in utrisque cruribus uestris? et hic quid dixit, inuenisti me inimicus meus, hic autem dixit, non licet tibi habere mulierem philippi fratris tui, uidisti petram? uidisti arenam, qualiter facile decidit, qualiter cedit calamitatibus, qualiter conuertitur, et si cum rege, et si cum

Commented [ND48]: homini add. super lin.

Commented [ND49]: uel adinuicem add. super lin.

Commented [ND50]: [fol.94ra]

Commented [ND51]: id est angustia add. super lin.

Commented [ND52]: id est angustiam pateris add. super lin.

Commented [ND53]: uel patiebantur add. super lin.

Commented [ND54]: adamantem add. super lin.

Commented [ND55]: uel pungitur add. super lin.

Commented [ND56]: uel conluctatur add. super lin.

Commented [ND57]: [fol.94rb]

Commented [ND58]: uel demolitur add. super lin.

multitudine fuerit, et si cum potentatu? Omnibus enim participantes **ea**, insensibiliores facit, et neque simpliciter decedit **sed** cum multa calamitate. Etenim erat ait casus eius magnus. Neque enim pro contingentibus est periculum, sed pro anima, pro casu caelorum et immortalium illorum bonorum. Magis autem et ante illa omnibus miserabiliorem qui haec persequitur, uiuet intra cum mestitiis continuis, formidationibus, sollicitudinibus agoniis uiuens. Quod et quidam sapiens enigmatice insinuans dixit, fugit impius nullo persequente. Qui enim tales sunt, umbras tremunt amicos suspectos habent, inimicos famulos eos qui sciunt, eos qui nesciunt ipsos, et ante penam hic ultimam soluunt penam. Et haec omnia manifestans christus dixit, et erat casus eius magnus, addecentem finem concludens bonas has promissiones, et uehementer incredulos a presentibus fugere. Et si enim maior est qui de futuris est sermo, sed eos qui crossiores sunt, hic magis sufficiens est detinere, et abducere a pernitie. Ideoque in eum desinit, ut **rememorabilis** sit eius utilitas. Omnia igitur haec cognoscentes, et presentia et futura fugiamus malitiam, zelemur uirtutem, ut non uane neque inaniter laboremus, sed et stabilitate quae hic est fruamur, et gloria quae illic est participemus. Qua sit omnes nos potiri, gratia et philanthropia, id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria, et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND59]: arena *add. super lin.*

Commented [ND60]: [fol.94va]

Commented [ND61]: uel rationabilis *add. super lin.*